+

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Amplissime Eruditissimeque Domine

Numquam in animum induxi meum ab illo vetere Poëtâ tuo, cui sine fide sint, perstringi Principes, quique ijs proximi et arcanorum omnium participes unà cum militibus propriè castra constituunt: sed, quod studiose exprimit, eos dumtaxat, qui castra sequuntur, quod calonum et lixarum est. Imò profusa tua humanitas, et in ignotum etiam et arte sua immeritum me, et Societatem nostram universam, non semel, et nouis continenter beneficijs testata beneuolentia faciunt, ut, nisi barbarus omnino, et ab omni humanitatis aliemus esse velim, ejusmodi cogitationis ne speciem quidem admittere possim. Habeo sanè gratiam quam possum maximam, et quoniam pro propensissimâ tuâ in nos voluntate id tibi gratissimum fore scio, in vicem spondeo me et Collegas omnes fore memores eorum, quae non cordatè minus quam verè suggeris: conabimurque omni studio efficere et omnes quibus libido fuerit iudicandi de nobis sincere et animo non praeoccupato, intelligant quam calamo recta ac linguâ innoxij simus, quamque tranquillitatis publicae et concordiae amatores: ne futurum esse et Excellentissimum Dominum Principem (cuj obsequium omne, venerationemque

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boddeus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/734

+

quâ pace et demissione deferimus deferemusque semper
poenitebat, quod eius fauore hic degamus. Tu vero,
Vir eruditissime, quaeso, amare nos perge; et quod ante hac
potenter a te factum sensimus, quam de nobis opinionem
concepisti, cum pluribus alijs, atque in primis cum
Excell.mo Domino Principe communicare non desine.
Vale, et D. de Heymbliet et D. Uyts Viris humanissimis
et mei pictor meritum perstudiosis salutem ut hic adscribam,
patere. Traiecti ad Mosam. prid: Id: Novembris. MDCXXXII

D. T. Amplissimae

Minimus in Christo seruus
Baptista Boddens
Societatis Iesu.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boddeus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/734

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boddeus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/734

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boddeus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/734